

I. N. S. C.
DISSERTATIO ACADEMICA

DE

PRÆPOSITIS
ABOENSIBUS,
COMITIBUS
QUONDAM
PALATINIS,

QUAM

Conf. Ampliff. Fac. Phil. In Reg. Acad. Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNES
BILMARK,

Hist. ac Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & Ord.

Publico examini modeste subjecit

JOHANNES ARENIUS,

Aboënsis.

In AUDITORIO MAJORI Die IX. Decembr.
Anni MDCCLXXII,

Horis ante meridiem consuetis.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL,

Vålborna FRUN,
FRU EVA CHARLOTTA
SCHLYTER,
FÖDD
VELLINGK,

Förr tu år sedan hade jag den förmon, at såsom handledare för Vålborna Fruns dygdiga och vålar-
tade Söner, blifva uti Dets hedervärda hus antagen.
De välgjeringar, hvilka jag under samma tid åtnju-
tit, äro större, än at de med orden kunna af mig
bepriſas, än mindre i ſjelfva verket åstjenas. Til-
låt dock, Vålborna Fru, at til et ringa vedermåle af
min erkänſla få upoffra Eder deſſa pappers-blad.
Förſynen tildele Vålborna Frun alt godt i andelig
ock lekamlig måtto; Han lindre de nu tryckande
ſvåra bekymmer, och gjöre Dets lefnad både ſäll och
långvarig. I denna önkkan har jag åran, at med djup
vördnad framhårda

Vålborna FRUNS

Ödmjukaste tjenare
JOHAN ARENIUS.

PRÆFATIO.

Quantum Pontifices Romani, horumque in Admi-
strando officio Ministri, a pura Christi doctri-
na, cui varia ex suo ingenio interferuerunt com-
menta, recesserunt; tantum quoque exempla vitæ Salva-
toris mitissimi & simplicitatem Doctorem primitivæ Ec-
clesiæ sunt dedignati. Sicut igitur inter cæcos regnat
monoculus; ita etiam ignorantia ac barbariei sæculis
Pontifices memorati Imperatorum ac Regum dignita-
tem æmulari primum, mox, his non renitentibus, su-
perare cœperunt, Divinosque propemodum honores sibi
superstitiosis vindicarunt populis. Nec degeneres sese
præbuerunt Jovis Vaticani Filii, qui in varias mitteban-
tur terras, Evangelium gentibus annunciaturi; qui, pro-
prium hoc officium parum curantes, negotiis quibusvis civi-
libus ita sese ingesserunt, ut Cardinales & Legati a latere æ-
qualem, Archi-Episcopi autem & Episcopi proximum a
Regibus locum sibi deferri postulaverint. Haud opus
est, ut hujus rei argumenta extra patriam quæramus;
quum Historia mediæ ævi Svo-Gothica plura ambitionis
illorum portenta nobis exhibeat. Nam non solum
in Senatu Regni hic honos Viris, mitra lituoque conspi-
cuis, fuit tributus, ut illustrissimis ac fortissimis Heroibus,
sago & toga clarissimis præferrentur, sed etiam præce-
dentia ante ipsos Duces (Hertigar), ad quod dignitatis
fastigium raro alii quam Regum filii pervenerunt, ipsis
fuit delata, sicut ex Actis adfatim constat. Immo sicut
Doctorem Ecclesiæ maxima antiquissimis temporibus

fuit in populis auctoritas, ita tranquillitas publica tunc postulabat, ut Imperatores atque Reges Præsules istos, qui parata secum gerebant fulmina, quibus omnia sibi subjicere possent, quovis modo sibi devincerent, quare amplissimos honorum titulos ipsis iterum iterumque contulerunt. Taceo alia hujus facti documenta, & quum Præpositus quidam Aboënsis ejusque Successores ab Imperatore FRIDERICO constituti fuerint Comites Palatini, a loco, ubi natus sum, non prorsus erit alienum cum de Præpositura Aboënsi, tum de dignitate hac Palatina, quam alii ex Scandiæ Clero olim obtinuerint, mihi non constat, nonnulla cum bona Lectoris venia impræsentiarum disferere.

§. I.

DE PRÆPOSITIS ABOENSIBUS ante MAGNUM NICOLAI.

Quamvis B. HENRICUS Divinis sub auspiciis primum fundamentum propagationis Religionis Christianæ per Finlandiam posuisset; lente tamen processit opus tanti moliminis, id quod partim Majoribus nostris, qui avitas superstitiones ægre deserebant, partim etiam nimix Sacerdotum severitati in illis convertendis erit adscribendum. Interim tamen ad planiorem salutis cognitionem sensim sensimque deducebantur cives, ædificiaque cultui Divino peragendo idonea exstrui sunt passi; inter quæ Randamäkänse primum obtinet locum, cui ætate parum cedit Templum Wirmoënsē. Sequentē tempore sæculo XIII in primis varii Canonicatus Aboæ, quæ tunc emporium solummodo erat, in usum Clericorum, qui Majores nostros instruerent, fuerunt instituti, donec Templum Aboënsē An. 1300 circiter fuit perfectum. Qualis rerum Ecclesiasticarum facies in Finlandia sæculo jam memorato fuerit, antiqua, quæ supersunt, monu-

menta fere reticent. Occurrit tamen in Actis Templi Wirmoënsis sequens annotatio: *Inventarium in parochia Wirma A:o salutis MCCLX in plantationem prapositionis Remari Gislonis, Prapositus Aboënsis primus, cum Sigismundo Johannis, Canonico ibidem, & Remigius Gislonis, Canonicus Holmiensis, ac Magister Magnus Woldemari, Canonicus Upsaliensis, ac Magister Nicolaus Carhu, prapositus ruralis (e) in parochia Wirma &c. (b).* Memoriae quoque prodit Rev. Episcopus PAULUS JUSTEN, quod Episcopus Aboënsis HEMMINGUS curaverit de novo Prapositionem in Ecclesia Aboënsi institui (c). Contra ea MESSENIUS tradit Prapositionem Aboënsis ab Episcopo HEMMINGO primum fuisse institutam (d), cui sententiæ alii quoque adstipulantur (e). Atque hæc opinio nobis quoque probabilior videtur, & nisi admodum fallimur, pro A:o MCCLX in inventario citato legendus est A:us MCCCLX; cujus conjecturæ sequentes accipe rationes. I:o Prapositionem Aboënsis ante exstructum in nostra civitate templum, quod A:o 1300 factum, institui non potuit. II:o Templum Wirmaënsis in modum Basilicæ Upsaliensis exstructum dicitur (f); hæc autem A:o 1250 circiter inchoata, & 1435 absoluta (g); ergo illud vel circa finem Sæculi XIII vel initium Sæculi XIV. fuit inchoatum, quum ipso templo Aboënsi videatur aliquanto posterius. III:o Quum primus Prapositus Upsaliensis fuerit BERO, qui obiit A:o 1268 (h); verisimile est, Aboam serius suam accepisse primam Prapositionem. Enimvero aliis hæc plenius discutienda relinquimus, nomina Prapositionum Aboënsium, quantum per monumentorum defectum fieri potest, exposituri. Primus igitur Prapositus Aboënsis fuit REMARUS GISLONIS, cui hoc munus A:o 1343 demandavit Episcopus Aboënsis HEMMINGUS, postquam pacatior facta fuerat Ecclesiæ facies (i). Illi successit HENRICUS Her-

manni, quem MESSENIUS (*k*) primum Præpositum Aboënsis nuncupat, qui etiam postmodum Hemmingo memorato in Episcopatum A:o 1367 successit. Sed heic in serie Præpositorum Aboënsium magnus cernitur hiatus, nisi forte illi Præsules, qui postea Dioceseos Aboënsis gesserunt curam, antea Præpositi Aboënses fuerint. A:o 1424 FRIDERICUS TRAST fuit Præpositus Aboënsis (Prowast i Åbo), cui successisse videtur OLAVUS HENRICI, qui A:o 1438 constitutus Præpositus Aboënsis, A:o 1450 pedum Episcopale obtinuit (*l*). Deinde Mag. CONRADUS BITZE per aliquod tempus Præposituram Aboënsis usque ad An. 1460 administravit (*m*); cui in hoc successit munere Dominus ERICUS Axelii, qui sub CHRISTIANO I. Rege vixit (*n*), atque An. 1465 successorem habuit MAGNUM NICOLAI (*o*) de quo mox plura. An hi singuli & re & nomine fuerint Archi-Præpositi Aboënses (Dom-Probstar) (*p*) non nostrum est disquirere.

(*a*) Postquam Legatus Pontificius WILHELMUS Sabinensis in Concilio Scheningensi An. 1247 eo rem redigisset, ut Canonici ad quamlibet Ecclesiam Cathedralis instituerentur, Canonici distinguebantur in *Residentes*, qui sedes in urbibus habuerunt, atque *Rurales*; indeque simul orta est distinctio inter Præpositos urbicos & rurales. (*b*) Vid. *Cl. HALLENII Dissert. de Territorio Wirmoënsi part. I. p. 16, 17.* (*c*) Vid. *Ejusdem Chron. Episcop. Aboëns. in NETTELBLADTS Schwedische Biblioth. Tom. I. p. 70.* (*d*) Vid. *Ejusd. Chronicon Ecclesiastic. p. 10.* (*e*) Vid. *H. SPEGELS Chron. Episcop. p. 391. & RHPZELII Episcoposc. Tom. I. p. 331.* (*f*) Vid. cit. *HALLENII Dissert. p. 17.* (*g*) Vid. *TUNELDI Geographiam p. m. 56.* (*h*) Vid. *BENZELII Monument. Ecclesiast. p. 43.* (*i*) Nonnulli existimant, *ELAVUM* quen-

quendam circa An. 1337 fuisse Præpositum Aboënsē, qua autem fide hoc scribitur, nobis non constat. (k) Vid. *MESSENI* *Scand. Illustr. Tom. X. p. 16.* (l) Vid. *RHYZELII Episcoposc. Tom. I. p. 337.* (m) Vid. *ZUSTENI Chron. Episcop. in Libr. cit. p. 77.* (n) Vid. *Job. HARDORPHII Coll. p. 289.* (o) Vid. *RHYZELII Libr. cit. p. 339.* (p) Si fides habenda Episcopo *BRYNOLPHO III*, titulus Dom-Probst inde a sæculo XI invaluit, vid. *BENZELII Monument. Eccles. p. 72.* Sed Dom-Probst, Dom-Herre & Canonicus, ea tempestate synonyma fuisse videntur.

§. II.

DE PRÆPOSITIS ABOENSIBUS, COMITIBUS
quondam PALATINIS.

Primus Præpositus Aboënsis, qui Comes Palatinus factus est, atque dignitatem hanc in suum munus intulit, fuit *MAGNUS NICOLAI* de Serkilax, Episcopi *MAGNI TAWAST* ex fratre nepos, ex equestri & perantiqua *CARPELANORUM* familia ortus, Vir magni ingenii multæque eruditionis. Hic proficiendi in litteris ardore incensus, Parisios est profectus, ubi, post edita solidæ eruditionis specimina Philosophiæ Magister fuit creatus. Dehinc ad alias aliasque Europæ regiones sese contulit, atque in Italia, præcipua tum disciplinarum sede, aliquamdiu substitit, ubi Monachi tantam cum de doctrina ejus tum de integritate vitæ conceperunt opinionem, ut Abbatem Cœnobii Senensis in Italia ipsum deligerent. Quo in munere administrando tantam consecutus est famam, ut non solum Præpositus Aboënsis sit electus, sed etiam Imperator *FRIDERICUS III*, Græci (Gratz) tunc commorans, ipsum & omnes ejus in Præpositura Aboënsi successores constituerit *COMITES PALATINOS* (a).

Con-

Constat hoc ex Epistola Imperatoris modo memorati, descripta ex libro Eccles. Aboënsis, qui in Collegio Antiquitatis Holmiæ servatur, ex qua heic nonnulla adferre juvat. *FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Hungarie, Dalmacie, Croacie, &c. Rex, ac Austrie, Stirie & Carniole Dux, Dominus Marchie, Slavonie & Portus Naonis, Comes in Hapsburg, Tirolis, Pherreris & in Kuburgk Martisburgonie & Landgravius Alsacie, Spectabili Domino, Magno Niclisson, Preposito Aboënsi in Finlandia, Nobis dilecto, gratiam nostram Cesaream & omne bonum. Scepdrigera Cesarea dignitatis sublimitas sic inferioribus potestatibus officii & dignitatis elacione prefertur, ut commissos sibi fideles optato consolacionis presidio gubernet, quo thronus augustalis tanto solidetur felicius, & uberiori prosperitate proficiat, quanto indefinenter sue virtutis donaria largiori benignitatis munere fuderit in subiectos, sicut a choruscante splendore imperialis solii nobilitates alie velut a sole radii prodeuntes - - - Sane ad notabilem & multum considerandam vestre circumspectionis industriam, animo deliberato, sano quoque Principum, Comitum, Baronum nostrorum & imperii Sacri fidelium, dilectorum accedentium consilio decreta nostra strenua & imperialis plenitudine potestatis Sacri Lateranensis pallacii Comitem facimus, creamus, erigimus vos & successores vestros, in perpetuum nobilitamus, attollimus, & auctoritate nostra imperiali pro nobis & successoribus nostris generosus insignimus &c. &c. (b)* Hic quoque in demando sibi munere ita sese gessit, ut pedum Episcopale An. 1489 obtinuerit, & nostrates ipsius memoriam etjamnum rhythmis suis celebrent (c). MAGNO in Præposituram Aboënsis successit LAURENTIUS MICHAELIS SUURIPÅ (Storhufvud) qui hanc spartam usque ad An. 1500, quo illam cum Episcopatu commutavit, insigniter ornavit (d). Vacuam vero Præpositu-

posituram obtinuit JOHANNES OLAVI Pargensis, qui gradum Magisterii in Academia Parisiensi fuerat consecutus, exemplo antecessorum Episcopus Aboënsis An. 1507 factus (e). Post hunc ad Præposituram Aboënsis promotus fuit Mag. HENRICUS WENNER (f), qui partibus Dannorum in turbulento patriæ statu sub Rege JOHANNE II favisse videtur; siquidem Hafniæ An. 1509 præsens fuerit, dum Regi JOHANNI 1200 marcæ & Reginaë CHRISTINÆ 1000 addicebantur (g). Obiit autem An. 1513, successorem habens Mag. PAULUM SKÅR, qui An. 1516 vitam cum morte commutavit (h). Insequentium annorum turbæ, per SEVERINUM NORBY, Thalasiarchum Danorum in nostris excitatæ oris, quibus civitas nostra gravissime fuit afflictæ, impedivisse videntur, quominus Præpositus, Religioni Pontificiæ addictus, in locum defuncti PAULI fuerit constitutus, saltem nos ejus nomen nusquam adhuc invenimus. Paulo autem post PETRUS de SERKILAX ex Lutheri schola domum redux Evangelicam Religionem inde ab An. 1522 Majoribus nostris annunciavit (i). Atque quum hi a nobis jam memorati Præpositi Aboënses Religionem Romano-Catholicam sint professi, colligimus etiam, eosdem vi Diplomatis FRIDERICIANI fuisse Comites Palatinos: quæ vero dignitas postmodum, dissipatis commentorum Pontificiorum præstigiis & mutata rerum tam Ecclesiasticarum quam civilium facie, apud nos fuit abrogata.

(a) Vid. RHYZELII *Episcoposc.* Tom. I. p. 339. & *Dissert. Cl. Mag. TOLPO de initiis rei Litterariæ in Suetbia* p. 75. (b) Vid. *Act. Litter. Upsal. Anni MDCCXXXIII* p. 49. & seq. Omissus autem est hujus diplomatis annus, qui procul dubio fuit 1465. (c) Vid. cit. HALLENII *Dissert.* p. 72. (d) Vid. RHYZELII *Libr. cit.* p.

339 & 340. (e) Vid. RHYZELII *Libr. cit.* p. 340. (f) Vid. P. JUSTENI *Chron. Episcop. in NETTELBLADI Libr. cit.* p. 81. (g) Vid. J. HARDORPHII *Collect. Litt. Reg.* p. 420. (b) Vid. JUSTENI *Chron. cit.* p. 81. (i) Vid. cit. HALLENII *Dissert.* p. 73.

§. III.

DE COMITIBUS PALATINIS in genere.

Postulat nunc instituti nostri ratio, ut paucis indigemus, qualis fuerit illa cum officio juncta dignitas Palatina, qua Præpositi Aboenses §. II memorati sunt ornati, dum Comites Palatini facti fuerunt. *Comites* itaque nuncupatos esse a *comitando*, tum quod Principes ad bellum profecturos comitarentur, tum quod in gravioribus negotiis gerendis, ipsorum desiderari non deberet opera, ex Historiarum monumentis satis constat superque. Tanta quoque antiquissimis temporibus, si CINNAMUM audiamus, fuit Comitum dignitas, ut in tertio a Regia, & in quarto ab Imperatoria Majestate loco fuerint habiti. Ita enim ille: *κομήτᾳ μὲν γὰρ Δῶξ ὑπεργναβίθηκε, Δῶκα δὲ ὁ ῥηξ καὶ ῥηγα βασιλεύς*, id est: *Comitem enim Dux præcellit, Ducem vero Rex, Regem vero Imperator* (a). Quos vero Latini Comites, Germani Grafven appellarunt, sicut innuit AVENTINUS: *Quos nos Graphios, Literatores Comites vocant* (b). Unde autem vox *Grafven* descendat, multum disputant Eruditi (c); sed etymologicam hanc controversiam non nostram facimus. Potius observamus, quod nulla ferme olim dignitas in aula Imperatoria fuerit recepta, quæ non Comitivæ honore esset ornata, sicut pro variis præfecturarum generibus, diversa fuerunt Comitum genera. Erant igitur non solum Comites ærarii, Comites Sacrorum largitionum, Sacri patrimonii, rerum privata-
tarum

tarum &c. sed etiam Landgraven, qui regionibus non limitaneis præerant, Marchgraven (Goth. Væringar), qui limitaneis provinciis præficiébantur, Burggraven, Civitatum Præfecti, Go-Graven pagorum præfecti, & alii plures; uti docent veterum Imperatorum diplomata & Legum pandectæ. Præcipuæ autem dignationis fuerunt *Comites Palatini*, qui in certis aulae seu Palatiis Imperatorum vice dirimebant ortas inter cives lites. Inter hæc autem palatia duo in primis olim fuerunt celebria; quorum alterum ad Rhenum Franconico jure, alterum in Saxonia Saxonico utebatur. Maxima omnino fuit quondam auctoritas horum Comitum Palatinorum, sed quæ sensim decrevit, adeo ut post tempora Imperatorum OTTONUM hoc munus aliam quasi formam induerit. Tunc vero constituti sunt Comites illi Palatini, vel Palatii Lateranensis, quibus diversa & minus ampla concessa fuerunt munia. Lateranenses autem dicebantur hi Comites Palatini partim a Palatio ejus nominis, quod Romæ est, quare Pontifices Romani PAULUS III, JULIUS III, & CLEMENS VIII Sacri Palatii & aulae Lateranensis Comites crearunt (*d*); partim & quidem præcipue a Palatio, quod Aquisgrani fuit. Erudite admodum hoc observavit LIMNÆUS ex additione Legum Carolinarum Anfegisi, ubi ita legitur: Anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXVII, imperii vero Gloriosiss. Principis HLudovici IV. VI Idus Julias, cum in domo Aquisgrani Palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures una cum suis resedissent Monachis &c. Vocantur iidem Aulae Casareæ atque imperialis Consistorii Comites, nec non Familiares Domestici Comeniales (*e*); quo titulo, licet rariori, alios quoque insignitos fuisse constat. Potestatem constituendi Comites Palatinos soli Imperatores ad initio sibi vindicarunt; postmodum autem non solum Pontifices Romani crearunt

Comites Palatinos in Italia, quibus ista potestas in Concilio Tridentino adjudicata fuit (f); sed etiam Vicarii in imperio Romano parem quandoque exercuerunt potestatem. Immo Historia docet, quod Imperatores hanc potestatem sibi reservatam aliis interdum indulerint, sed qui delegati Comitibus Palatinis a se creatis ampliora impertiri non potuerunt privilegia, quam quæ discretis verbis ac terminis, uti dicunt, terminantibus in Comitibus sibi concessis sunt expressa.

(a) Vid. *Histor. Libr. II. Cap. XII.* (b) Vid. *Libr. VII.*
 (c) Vid. *Nob. IHRES Glossarium Svoio-Gothicum voce Grefve, & Dissert. J. FAXE de Comitiva dignitate, præsertim in Svoio-Gothia p. 4, 5, 6, 7.* (d) Vid. *Laërt. CHERUBIN in bullario passim.* (e) Vid. *Jur. publ. Libr. IV. Cap. IV. §. 44.* (f) Vid. *Sess. XXIV. C. II.*

§. IV.

DE IIS, QUI COMITES PALATINI FIERI POTUERUNT.

Sicut ad honoris fastigium omnibus, qui per virtutum ac meritorum gradus eniti student, aditus patere debet; ita quoque docet Historia, quod Comites Palatini olim creati fuerint Viri cujuscunque ordinis, qui insignibus vel in Litteras vel in Rempublicam meritis inclarauerant. Taceo jam viros illustri loco natos, qui cæteris facilius honorum ornamenta tempore tantum non omni sunt consecuti, & observo solum, quod ii, qui eruditionis fama celebrarentur, isthoc dignitatis augmento fuerint condecorati. Sic integrum quoddam Collegium Academicum Comitiva hac dignitate fuit ornatum; quæ prærogativa ex singulari Imperatoris MAXIMILIANII gratia contigit Collegio Oratorum & Poëtarum

etatum in Archiducali Viennensi Austriæ Academia, cujus Rector Comitum Palatini titulo fruitur (a). Facultatis etiam Juridicæ in Academia Rostockienſi Decanus ex gratia & concessione Imperatoris RUDOLPHI eodem utitur privilegio (b). Similiter Academiae Helmſtadienſi indulſit Imperator MAXIMILIANUS II, ut illius Rectores, quamdiu hanc gererent provinciam, Sacri Lateranensis Palatii Comitum titulo, dignitate ac juribus gauderent (c). Interdum autem hæc honoris prærogativa certis personis fuit tributa, & quidem vel ea conditione, ut dignitas hæc esset tantum personalis, & cum ipsa persona exspiraret, vel etiam ut eadem in ejus progeniem aut etiam successores continua propagaretur serie, quale exemplum habemus in memoratis Præpositis Aboensibus. Adferunt igitur nonnulli, Constitutionem quandam Imperatorum THEODOSII & VALENTINIANI, in qua Professoribus urbis Constantinopolitanæ, præcipue Grammaticis, Sophistis & Jurisperitis, si in ea urbe XX annos docuissent, Comitum dignitas conceditur (d). Adfinem huic sanctioni legem tulit Imperator FRIDERICUS, qua cavit, ut Professores Patavini, sedecim annos docendo emensi, Comitum Palatini crearentur (e). Sed sicut Comitum horum numerus sequiori ævo admodum increvit; ita prærogativa his concessa in solo titulo constituisse videtur, quare etiam LIMNÆUS adfert Gallicum quoddam carmen in nimiam Comitum dignitatis largitionem:

*Un Senor en Espagne ;
 Un Maitre en Angleterre,
 Un Monsieur en France,
 Un Hidalgos en Portugal,
 Un Comte en Germanie,*

*Un Eveque en Italie,
Est pauvre compagnie.*

(a) Vid. SCHWEDERI *Introd. in Jus Publ. &c. part. Spec. Sect. I. C. VIII. 13.* (b) Vid. SCHWEDER *loc. cit.* (c) Vid. LIMNÆI *Libr. cit. Tom. II. Libr. IV. C. IV. §. 75.* (d) Vid. *Cap. de Professoribus*, qui in urbe Constantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitivam. (e) Vid. LIMNÆI *Libr. cit. Tom. IV. Libr. IV. Cap. IV. §. 96.*

§. V.

DE JURIBUS PRÆPOSITORUM ABOENSIUM,
ut COMITUM PALATINORUM.

Ne quis forte existimet, inane nomen & vana tantum titulorum blandimenta Propositis Aboënsibus fuisse concessa, superest, ut ad tenorem Litterarum Imperatoris FRIDERICI supra memoratarum nunc dispiciamus, quibus potissimum juribus ipsi, ut Comites Palatini, gavisi fuerint. I:ò Igitur observamus, quod Comites hi Palatini possent & valerent, uti ipsa sonant verba, per Finlandiam & totum Romanum imperium facere ac creare Notarios publicos seu Tabelliones & Judices Ordinarios, ac universis personis, quæ fide digne abiles & idoneæ sunt Notariatus seu Tabellionatus & Judicatus ordinarii officium concedere & dare, & eos & eorum quemlibet auctoritate Imperali de predictis per pennam & calmarium investire, prout moris est, dum tamen illos ad practicam & executionem hujusmodi ejusdem officii abiles & idoneos inveniant, super quo Vestram (alloquitur Magnum Niclisson) & Successorum vestrorum conscientias oneramus, dum tamen ab ipsis Notariis publicis seu Tabellionibus & Judicibus ordinariis per

vos fiendis & creandis, ut præmittitur, & coram quolibet vice & nomine Sacri Imperii & pro ipso Romano imperio debitum fidelitatis recipiatis, & Successores Vestri recipiant corporale & proprium juramentum in hunc modum, videlicet, quod erunt nobis & Sacro Romano imperio & omnibus Successoribus nostris Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrantibus fideles (a), nec unquam erunt in consiliis, ubi periculum nostrum tentetur &c. &c. Illo Item eadem auctoritate Vobis & Vestris Successoribus concedimus & largimur, quod valeatis & possitis naturales, bastardos, spurios, manseros, nothos, incestuosos copulative & disjunctive, & quoscunque de illicito coitu dampnato procretos, viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus legitimare, illustrium tamen Principum, Comitum, Baronumque Filiis duntaxat exceptis, & eos ad omnia jura legitima restituere & reducere; omnemque genituræ maculam penitus abolere &c. (b). Constat insuper alia jura atque privilegia aliis Comitibus Palatinis fuisse concessa, quæ vero cum Præpositis Aboënsibus non fuerunt communia; quare etiam eadem silentio nunc præterimus.

(a) Si Imperatores Romano-Germanici jus quoddam in Scandiam sibi ita vindicare voluerint, frustra hoc tentarunt; hoc igitur privilegium respexisse videtur Germaniam. (b) *Integras Litteras Imperatoris vide in Act, Litt. & Scient. Upsal. l. c.*

THESES QUÆDAM SCEPTICÆ.

Thes. I. An Æneas atque Dido eodem vixerint tempore, dubito. Adfirmant hoc Poëtæ, sed negant Historici.

Thes.

Thef. II. An Alexander M. veneno perierit, dubito. Probabilius est, eum hauistū scyphi Herculei fata sibi accelerasse.

Thef. III. An Roma a Romulo primum condita fuerit, dubito. Certe Sallustius scribit, eam a Trojanis fuisse conditam. Verisimile est, eam urbem a Romulo, ut Byzantium a Constantino, fuisse amplificatam & Regum sedem factam.

Thef. IV. An verum sit, quod de Horatio Coclite refertur, eum scilicet unum sustinuisse hostium impetum, & ad ultimum in Tiberim desilientem ad suos tranavisse incolumem, dubito. Livius ingenue fatetur, *plus fame eam rem habere, quam fidei.*

Thef. V. An per Græciam in annalibus Svyo-Gothicis intelligatur Rossia, dubito.

S. D. G.

